

adhuc correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est. quamquam pervenit ad me opinio esse in insula Creta barbarum quendam naufragio adpulsum maiorem natu publice mercedem accipientem, quem etiam, cum liquorem timent et latratus edunt spasmoque vexantur, remedio brachio sinistro alligato efficere ut et potionem accipiant et liberentur vitio, 5 quod adhuc ante antidotum Celsi inter omnes quasi insanabile constitit.

CLXXII. Hoc ego cum quaererem ab hospite meo legato inde misso nomine Zopyro Gortynense medico, quid esset, pro magno munere accepto dixit autem hyaenae corii particulam esse panno inligatam. quod ego adhuc non sum expertus, quamvis protinus magna cura hyaenam emerim 10 et pellem paratam habeam, quia non incidit ex eo quisquam; et opto quidem ne incidat, sed quia id non est in nostra potestate, si casu incidit, remedium habere oportet ad tantae rei experimentum.

CLXXIII. Antidotus autem Celsi haec recipit: nardi Syriaci, croci, myrrhae, costi, cassiae, cinnami, schoeni, piperis albi, piperis longi, ca- 15 storei, galbani, resinae terebinthinae, opii, singulorum \bar{X} p. III, alterci albi \bar{X} p. II, anesi \bar{X} p. I, apii seminis, tracanti, singulorum \bar{X} p. VI, mellis Attici \bar{S} unum, vini Falerni unciam. in hoc maceratur tracantum et opium pridie, postero die contusis ceteris miscentur in melle; galbanum et resina fictili patella super carbones imposita resolvuntur, deinde arida 20 asparguntur et, si opus est, adicitur mel, [et] ut cerati teneri spissitudinem habeant, et rursus patella supra ignem imponitur moventurque quae sunt in ea diligenter spatha fraxinea. coquitur medicamentum, donec crocinum habeat colorem; ultima quae sunt vino macerata adiciuntur; vase vitreo antidotos reponitur. datur fabae Aegyptiae magnitudine ex 25 aqua. facit autem etiam ad stomachi omne vitium et praecipue quod cum fluore consistit; facit et ad oculorum epiphoras et ad tormina et ad coli inflationem, iocineris, pectoris dolorem, tussientes, adversus mala medicamenta omnia, serpentium morsus vel ictus. oportet autem locum morsum a rabioso cane vel a serpente diu tenere in exulceratione neque pati 30 cicatricem ducere, ut virus illa pertrahatur.